
300
C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

KW 300
C 47

WILHELMI BENTINCK

ORATIO
DE
CONSTANTIA
ROMANORUM

Publice recitata Trajecti ad Rhenum.

A. D. IV NON. MARTII. MDCXCVI.



TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ Typographi.
cIↄ Iↄc xcvi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

Illuſtriſſimo & Generoſiſſimo

VIRO

WILHELMO BENTINCK,

Comiti Portlandiæ, Domino Roon, & Pendregt, Legato Copiarum Equeſtrium, Satrapæ Comitatus Lingenſis, & Bredanæ diœceſeos, Præfecto Saltuum totius Hollandiæ, Patruo meo ſumme omnibus officiis & obſequiis colendo

Has primitias Studiorum Academicorum

L. M. Q. D. D. D.

WILHELMUS BENTINCK.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

ILLUSTRES ET PRÆPOTENTES POPULI TRAJECTINI ORDINES, ELECTI, EQUITES, MAGISTRATUS. GENEROSISSIME ET SPLENDIDISSIME CIVITATIS PRÆTOR. NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI CONSULES, ET SENATORES, ACADEMIÆ CURATORES. GRAVISSIMI CURIÆ PROVINCIALIS SENATORES. MAGNIFICE RECTOR, CLARISSIMI PROFESSORES. VENERANDI VERBI DIVINI PRÆCONES ET INTERPRETES. DOCTORES OMNIUM DISCIPLINARUM ERUDITISSIMI; VOSQUE CETERI OMNIS LOCI ET ORDINIS AUDITORES GRATISSIMI. TU DENIQUE LECTISSIMA JUVENTUTIS CORONA, SPES PATRIÆ ET ECCLESIÆ, SOLATIUM PARENTUM, ACADEMIÆ DECUS ET ORNAMENTUM.

WIL-

WILHELMI BENTINCK

ORATIO
DE
CONSTANTIA ROMANORUM.

IN hac univerſi civitate tam varii generis incolas habente, & tam pulchre, & tam mirifice inſtructa, ut nihil fieri poſſit pulchrius, homo, ſi a Deo ſapientiſſimo illius architecto, & conditore, nec non ab ejus aſſiduis ſatellitibus, beatis illis geniis diſceſſerimus, omnium civium eſt præſtantiſſimus. Homo enim Dei Optimi Maximi quaſi manu formatus ex humo, & erectus conſtitutus eſt, ut non tantum habitator eſſet mundi, ſed contemplator cœli, ſolis, lunæ, cæterarumque rerum ſuperarum, cum animantia cætera abjecerit ad paſtum tantum, quæ ad rerum divinarum ſpectaculum nunquam adſpirant, nec iis capiuntur. Solus eſt homo, qui ratione,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

divinæ illius auræ particula afflatus intelligit, quid bonum, quid æquum ſit, qui virtutes a vitiis diſcernit, & qui videt, quid fugiat, quid ſequatur, & quid ſit ſummo ſtudio amplectendum. Homo enim eſt animal providum, ſagax, acutum, plenum conſilii, ſic ut futura proſpiciat. Nullum præterea ex tot generibus eſt animal præter hominem, quod ſuum novit opificem, ideoque ab illo ſolo vult ille coli atque adorari. Deus homini dedit omnibus aliis animantibus imperandi poteſtatem. Leones, tigres, urſos, aliaſque feriſſimas beſtias ſub jugum mittit, elephantes domat, cete & balænas capit. Multi tamen homines, divinæ originis immemores, exuunt quaſi hominem, & in animalia rationis expertia degenerant, ut illos ſi reſpicias, & illorum conſilia, videatur homo inter omnia animalia maxime fatuum & brutum animal eſſe. O indigni hac divina forma, & hac præſtantia! O ingrati homines feriſque deteriores! Canes aliaque animantia etiam maxima fera, quæ tantum impetu quodam naturæ feruntur, verberibus, aut inedia ſemel iterumque caſtigata, cavent, ne id tangant,

&

& faciant, propter quod antea pœnas dederunt: homines vero, quamvis ratione præditi, & ipſi antea ſint experti, quanta ſibi mala arceſſant, ſi rationi non pareant, & indigna homine committant, ac ſæpe viderint, quam omnes alii, qui his vitiis fuerunt obnoxii, malum, peſtem ac exitium ſibi contraxerint; ſemper tamen in eundem lapidem impingunt, & idem in ſe flagitium admittunt. Multi omni tempore, & apud omnes gentes fuerunt, qui libidini luxuriæque ſe totos tradiderunt, & ſic ſe iverunt perditum. Quam multi tamen ſunt, qui tot hominum, quos afflixit luxus, & voluptas, exemplis nequaquam moventur, ſed eandem peſtem, & perniciem ante oculos poſitam, volentes, videnteſque ſibi ipſi machinantur. O infelices & ſtupidos, quos aliena pericula & incommoda non faciunt cautos! Quam multos ſuperbia perdidit, quæ eſt omnium malorum fons. Quis tam hoſpes eſt in litterarum ſtudiis, qui neſciat, Tarquinium, ut de hoc ſolo dicam, regio ſolio deturbaſſe ſuperbiam, qua omnium invidiam ſibi conflarat, & filii libidines? Quot tamen numerare poſ-

ſumus, qui, ſi omnia ipſis fluant ex voto, non intumeſcant, & inflati nimiis ſucceſſibus brevi poſt non pereant. Non moventur tot aliorum caſibus, quos in altum evectos viderunt, ut graviore ruina præcipites agerentur, ſed nihilominus ſic ſuperbiunt ſecunda aſpirante fortuna, ut Deos, homineſque præ ſe contemnant, nec unquam cogitent incerta rerum humanarum, ac ſi ſupra humanam ſortem eſſent elati, & quæ tenent, nulla divina vi nullaque ope humana poſſint iis eripi. Sicut autem plurimos perdiderunt res ſecundæ, & ex iis nata arrogantia & ſuperbia, ſic non pauci è contrario rebus adverſis ſuccumbunt, animo franguntur, ut non cogitent, ſe homines eſſe, ea lege natos, ut omnibus fortunae telis propoſita ſit eorum vita, cum tamen videant quæ ſit rerum viciſſitudo, & quam multos iniquitate fortunæ preſſos reſpexerit lætiore fronte illa ipſa, quæ antea eis fuerat irata fortuna. Quot bonis & dignitate exuti nulla ſua culpa priſtinam recuperarunt dignitatem & fortunas. Infinita talium caſuum & exemplorum, quæ partim in regnis & rebuspublicis,

par-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

partim in privatorum vitis acciderunt, quæ plerique homines aut ipſi viderunt, aut cognoverunt, omnes mortales deberent commonefacere, ne unquam deſperarent, etſi maxime videatur tumultuari, & in nos ſævire fortuna; ſed ut, ubi premuntur iniquitate temporum & hominum, ſpe meliorum rerum ſe ſuſtentent. Verum quam pauci reperiuntur, qui memores ſuæ ſortis, res humanas ita contemnunt, & ita contra fortunam parati atque armati ſunt, ut eodem animo ſecunda & adverſa ferant, & maximam illam conſtantiæ laudem ſibi comparent, quam Platonem & Socratem conſecutos fuiſſe uno omnium ore prædicatur. His enim & in lætis & in adverſis rebus ſemper eadem fuit frons. Hoc tamen non eſt ut tantopere miremur. Hi a teneris annis ſapientiæ ſtudiis fuerunt dediti, & ex litteris, ac aſſidua ad virtutem meditatione illum perceperunt fructum, ut animum pectuſve egregie adverſus omnes caſus humanos munierint, idque unice egerint. Sed Romani populi conſtantiam cum cogitabimus, tam in rebus ſecundis, quam adverſis, imprimis vero

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

in adverſis, plane obſtupeſcemus: nam id fidem omnem ſuperat, populum nullis ſapientiæ præceptis imbutum, hoc natura & aſſuetudine conſecutum eſſe, quod longa ſapientium doctrina alii non potuerunt conſequi, ut in omni fortuna ſibi conſtarent, nec ullis calamitatibus & malis moverentur, ſed imperterrito animo aſperrima & acerbiſſima quæque perferrent.

De hac Romanorum conſtantia hoc tempore paucis verba facere fert animus, ut illorum exemplo & nos qui ſumus Chriſtiani, & veræ religionis ſacris initiati, non, ut fieri videmus, rebus adverſis nimis perturbemur, ſed conſtanter pro patriæ ſalute, & pro religionis & libertatis tutela, omnia feranus incommoda.

Verum antequam in hac ſuſcepta a me provincia ulterius provehar, hoc unum a vobis, Auditores, benigne peto, ut mihi, de hac mira Romanorum conſtantia dicturo, aures præbere attentas dignemini.

Nulla unquam reſpublica præclaris exemplis & plurimis rararum virtutum documentis ſanctior ditior atque abun-

dan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

dantior fuit Romana : Pietas equidem Romanorum & cultus divinus in primis celebratur. Omnibus enim romanis innatum, & animis quaſi inſculptum erat, dominos eſſe omnium rerum ac moderatores Deos, eorumque judicio ac numine omnia geri, proſpera & adverſa ab iis aut placatis aut iratis proficiſci, eoſque optime de hominum genere mereri, & qualis quiſque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate colat religionem intueri, piorum & impiorum rationem habere. Ideo nihil publice privatimve, tam in rebus dubiis quam lætis ſuſcipiebant, niſi conſultis Diis vel per augurum obſervationes, Apollinis prædictiones, Vatum libros, præcipue Sibyllinos, portentorum expiationes, vel alias cæremonias, num id fiat iis volentibus, quorum iram, ſi premerentur rebus adverſis, placare, & ſibi conciliare variis ſacris, ſupplicationibus & ritibus ſtudebant : in rebus ſecundis gratum animum variis quoque ſacrificiis, ludis, ſpectaculis teſtatum faciebant, publice ſupplicationes dieſque feſtos indicebant, ut Diis gratiæ agerentur. Tantum ſtudium Romanis non ſo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

lum obſervandæ, ſed etiam amplificandæ religionis fuit, ut illam omnibus rebus anteponerent. Teſtis eſt Lucius Albinius, qui, Urbe a Gallis capta, virgines Veſtales, quæ nudis pedibus fugientia ſacra comitabantur, depoſitis uxore & liberis, in plauſtrum recepit, ſic ut illo miſerrimo tempore publica religio privatæ adhuc caritati antecelluerit. Teſtis eſt Fabius Pontifex, qui memorabile ſervatæ religionis exemplum reliquit: nam Gallis Capitolium obſidentibus, ne ſacrificium ſtatuto die a Fabia gente in monte Quirinali fieri ſolitum prætermitteretur, per media hoſtium tela in collem Quirinalem pervenit, omnibuſque ſolenni more peractis, incolumis poſt divinam venerationem in Capitolium rediit, propitioſque Deos renuntiavit. Teſtis eſt Lucius Petillius Prætor Urbanus, qui repertis duabus arcis lapideis, in quarum altera ſeptem Latini libri de jure Pontificum, totidemque Græci de diſciplina ſapientiæ reconditi erant, illos omni diligentia aſſervandos curavit, hos, quia aliqua ex parte ad ſolvendam religionem pertinere exiſtimabantur, auctoritate Senatus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

natus in conſpectu populi cremavit, noluitque quicquam in hac aſſervari civitate, quo animi hominum a Deorum cultu avocarentur. Hinc nihil apud Romanos jurejurando religioſius fuit: nam jusjurandum eſt religioſa affirmatio alicujus rei, interpoſita ad veritatem ejus rei firmandam religione, ſeu invocatione nominis Divini: quod autem quaſi Deo teſte promittebant, ab hoc nullis promiſſionibus, nullis minis, imo nullis cruciatibus deduci poterant; ſed id ſemper ſumma pietate atque religione ſervabant. Marcus Attilius Regulus Romanorum Imperator, cum captus a Carthaginienſibus Romam mitteretur, ut perſuaderet Senatui, ut cum illo commutarent Carthaginienſes nobiliſſimos viros, qui in vinculis detinebantur, fidem jurejurando ſuam obſtringens, ſe rediturum Carthaginem, ſi Senatus hoc detrectaret facere: Romam cum veniſſet, id diſſuaſit, & cum poſſet in patria ſenectutem tranſigere ſuaviter cum uxore & liberis, malebat Carthaginem ad graviſſimos cruciatus remeare, ne violaret jusjurandum. Quid dicam de decem Legatis, quos poſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

Cannenſem pugnam juratos ad Senatum miſit Hannibal hac lege, ut jurarent in caſtra redituros, niſi de redimendis captivis impetraſſent. Cum jam plerique re non impetrata rediiſſent, aliqui tamen Romæ remanſiſſent, hi a Cenſoribus omnibus ignominiis notati, & in Cæritum tabulas ſunt relati, & juſſu Senatus vincti ad Hannibalem miſſi. Tanta fuit Romanis jurisjurandi religio, ut illos perjuros in civitatem non tantum recipere nollent, quamvis nobiliſſimi eſſent cives Romani, ſed etiam eos, ut ſupplicio afficerentur, ne ceteri cives horum perjurio contaminarentur, remitterent. Hinc merito Cicero non tantum prædicat, Romanos cæteris gentibus religione multo fuiſſe ſuperiores, ſed & Antiſtes Hipponenſis, Beatus Auguſtinus cauſam incrementorum Romani Imperii tribuit illorum pietati & cultui, quo Deos proſecuti ſunt, quoniam ex bono animo, quamvis is pravis opinionibus ſit imbutus, ſit profectus. Romanorum iſta pietas peperit quoque illam vitæ morumque integritatem & incomparabilem probitatem, quæ neſcio an in ulla unquam gente fuerit tam ſingu-

laris & eximia. Nihil priſcis Romanis fuit ſimplicius & ſanctius. Non norant illas artes patricias, quæ poſtea inoleverunt: ſine fraude, ſine fuco, ſine fallaciis vivebant Romani, quia plus apud illos valebat pudor, quam lex, plus natura ac conſuetudo, quam pœnarum metus, & ſapientiæ antiſtitum præcepta, unde proverbio locum dedit Romana ſimplicitas, & Romana fides. Valde hanc Romanorum integritatem miratur & prædicat Polybius, vir ſummus, & in pernoſcendis hominum ingeniis & moribus ſolertiſſimus, qui tamen domo Græcus erat, Græci vero ſemper invidebant Romanis, & iis obtrectabant. Apud nos, inquit, ſi talentum creditum ſit alicui, & extent decem ſyngraphæ, decem ſigna, bis totidem teſtes, vix tamen ſervatur fides. Apud Romanos autem, cum ii, qui cum imperio ſunt, plurimum pecuniæ in manibus habeant & diſpenſent, tamen officium & fides iis conſtat, ſola jurisjurandi religione obſtrictis. Nihil dicam de ſingulari continentia populi Romani, qui aliena non appetebant, ſed ſua erant contenti ſorte, cum ſua cuique

 ſatis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

ſatis placerent : nam quamvis publice eſſent magnifici & ſplendidi , domi tamen erant parci , & dure ſe habebant , victum & cultum corporis ad valetudinem referebant , non ad voluptatem ; omnes lautitias aſpernabantur tanquam viris indignas , imo nullus unquam intemperans tanto ſtudio corporis voluptates conſectatus eſt , quanto illi perpetuo ea repudiaverunt , tantum cibi & potionis adhibuerunt , ut reficerent vires , non ut opprimerent ; ideoque farre & pulte per aliquot ſecula uſi ſunt , hinc dicebantur aliis populis pultiphagi. Si quæ feſtivitas nuptialis , aut natalitia , aut alius ſolennis dies , aut convivium frontem exporrigere , & indulgere genio juberet , pulti accedebant pauci piſciculi , & porcinæ aliquot libræ , & congius olei aut mulſi. Non utebantur veſtimentis magnificis & ſplendidis , ſed corpus tantum contra aëris injurias tegebant : nam amictus eorum , tam divitum , quam pauperum , erat tunica & toga lanea , non variis coloribus fucata , ſed pura , hoc eſt coloris albi , qualis in velleribus ovium naſcitur. ſericum ignorabant , purpureus limbus tantum

erat

erat in prætextis magiſtratuum & puerorum.

Inter omnes autem virtutes , quibus Quirites præ cæteris omnibus gentibus fuerunt præditi , nulla eſt mirabilior & præſtantior illa inuſitata atque incredibili in rebus aſperrimis conſtantia ; unde invictum illud robur & exaggerata animi celſitudo eorum ſic eminet , ut , ſi cæteras gentes reſpicias , inter viburna editiſſima cupreſſus.

De quibus ſi quis veſtrum dubitet , is mecum perpendat , num , quæ pauca expoſiturus ſum exempla conſtantiæ Romanæ ex innumeris , apud ullum alium populum ſit inventurus ſimile aliquid aut ſecundum. Poſt reges ejectos cum Romanorum vires eſſent valde tenues , & vix reipublicæ fines ad quintum decimum lapidem paterent , Porſena rex Etruſcorum , qui tum inprimis opibus pollebat , ingentibus copiis Janiculum occupaverat , ipſamque Urbem Romam obſederat , illam coacturus , ut Tarquinium expulſum reciperent. Tantum aberat , ut in maximas anguſtias redacti ſubmitterent animum , aut pacem peterent , ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

potius duriſſima quæque fortiter ferrent, ne partam libertatem amitterent. Horatius Cocles, ne pons ſublicius hoſtibus iter daret, ab ejus aditu arcet Etruſcos, ibique tandiu hoſtium impetum ſuſtinuit, donec pontem ferro, igni, vel quacunque vi interrumperent, ponte reſciſſo, poſtquam hoſtes undique inſtantes ſolus non poſſet ſummovere, armatus in Tiberim deſiluit, multiſque ſuperincidentibus telis incolumis ad ſuos tranſnatavit. Sed cum nihilominus obſidio urgeretur, & Romani maxima frumenti inopia premerentur, tamen non deſponderunt animum, ſed Mutius Scævola incredibili & audaci facinore urbem obſidione liberare conſtituit, itaque abdito intra veſtem ferro, in caſtra hoſtium, ut per inſidias ipſum Etruſcorum regem aggrederetur, proficiſcitur, ſed cum fruſtrato ictu ſcribam pro rege obtruncaſſet, Romanæ conſtantiæ & fortitudinis edidit ſpecimen admirandum. Nam dextram accenſo ad ſacrificium foco injicit, & terrorem geminat dolo: ut ſcias, inquit, quem virum effugeris, idem trecenti juravimus, cæteri, quoad te opportunum dederit fortuna,

tuna, ſuo quiſque tempore aderunt. Hæc virtus inuſitata ſic perculit regem, ut ultro iis pacem offerret, quam nunquam conſecuti eſſent, ſi animo fuiſſent fracto, & extrema experiri noluiſſent.

At multi fuerunt alii populi, qui in longæ & gravis tam obſidionis, quam famis patientiam animum duraverunt; ſed nullus alius fuit, qui deleta fere omni militaris ætatis juventute, capta ab hoſtibus, igne ferroque everſa patria, tantos animos geſſerit, tanta fuerit conſtantia, quam Romani. Galli cum Alpium invicta juga tranſcendiſſent, & totam illam Italiæ ſuperioris partem, quæ eſt inter intractabiles frigore montes & fluvios Arnum & Rubiconem, quæque inde dicta eſt Gallia Togata, occupaſſent, moverunt in Etruriam, & inde cum Romani deprecarentur pro ſociis, Romam contenderunt, Romaniſque fuſis & ad internecionem cæſis, ipſam Urbem invaſerunt, & totam ferro, igne & manibus ſolo æquaverunt: ſenes diis manibus a Fabio Pontifice conſecratos, trabeis amictos, & in ſellis curulibus ſedentes veluti pecora mactaverunt. Juventus tamen, quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

vix mille hominum numerum adimplebat, duce Manlio arcem Capitolini montis inſederat, tanta virtute & conſtantia hoſtium, a quibus obſeſſa erat, impetum & quotidianum inſultum ſuſtinet, ut Barbari longa ſex menſium obſidione fatigati ultro Romanis offerrent, ſe ſoluturos obſidionem, ſi mille libris auri receſſum vellent redimere. Vere igitur Romanus hiſtoricus iſtam admirans incredibilem conſtantiam affirmavit, tum aut nunquam veram illam Romanorum virtutem apparuiſſe, cujus magnitudo calamitatibus ſpectetur.

Cœlum cum ridet, & navis ſuis fertur ventis, facile quivis gubernator curſum tenere poteſt, verum cum hyems ſæva ingruit, & antennæ gemunt, tum artis animique magni & conſtantis eſt, navem regere, ut ſalva & a curſu non ablata feratur in portum.

Equidem ſi hujus conſtantiæ Romanæ documentum intueamur attentius, nihil deprehendemus mirabilius fieri potuiſſe. Deleti erant in prælio, qui poterant arma portare, jugulati erant ſenes, quorum conſilium in rebus tam dubiis deſiderabatur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

tur, reliqui cives, a quibus ſubſidii aliquid ad reſiſtendum hoſtibus poterat expectari, dilapſi erant, tota urbs cum omnium civum facultatibus incenſa perierat funditus, ut ne parietinæ quidem ſupereſſent. Omnia tenebant hoſtes, cuncta jacebant proſtrata, præterquam Romanorum qui ſupererant ex prælio animi, qui ſoli erecti erant ſpe cuncta reſtituendi. Quis queat in animum inducere, ut credat, quemquam eſſe mortalium, qui in tam deſperatis rebus poſſit ſperare? Sperarunt tamen Romani. Quot creditis fuiſſe, qui contra tantum hoſtium ferociſſimorum populum auderent oculos tollere? Mille erant, cum infinita eſſet Gallorum multitudo. Ecquod putatis fuiſſe munimentum, in quo Gallis furentibus reſiſtebant? Collis erat unicus Tarpejus, cujus vertex cinctus erat muro non validiſſimo pro illorum temporum ratione. Ex hoc colle conſtantia & virtus Romana eluxit clarius, quam ex Idæ cacumine ſolis orientis ſplendor.

Non minora, ſi non majora, conſtantiæ documenta Romani ediderunt, cum centum admodum annis poſt Pyrrhus, Epi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

rotarum Rex omnium ſui temporis bellicoſiſſimus, & nulli, qui ante aut poſt illa tempora rerum præclariſſime geſtarum gloria floruerunt, artium militarium prudentia ſecundus, cum Tarentinorum, Samnitum, & Lucanorum precibus fatigaretur, ut ipſis, auxilio adverſus Romanos indigentibus, ſuccurreret, in Italiam trajecit, ſecum adducens copias novi generis, aliter armatas, quam adhuc viderant Romani, & quæ multis bellis & expeditionibus erant induratæ, ut & inviſitatos ante hoc tempus elephantes. Cujus audito advento, Valerius Corvinus Conſul Romanus ei occurrit, ut prius cum eo congrederetur, quam auxilia ſociorum conveniſſent; ſed Pyrrhus tametſi numero militum inferior eſſet, Romanos, cum magnitudine tum deformitate & novo odore belluarum perculſos magnis cladibus bis terve afficit, victor Italiam peragrat, & ad trigeſimum lapidem Roma caſtra metatur, ſic ut fere illorum fumus a Romæ muris poſſet ſpectari. Quid Romani? non concurſabant trepide, non pavebant, non petebant pacem, imo pacem per Cyneam Pyrrhi legatum oblatam

re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

reſpuebunt, ſpe haud dubia Græcorum ſanguine ſe parentaturos tot egregiis civibus, qui in iis prœliis perierant. Non credebant Romani virtutis eſſe pacem ante inire, quam ignominias acceptas expiaſſent victoriis. Cyneam ſane demiſerunt hoc memorando & pleno animi reſponſo: Pyrrhus ex Italia cum ſuis copiis excedat, ubi exceſſerit, de pace ſi volet agat, ſe non depoſituros arma, niſi cedat Italia, etſi ſexcentos Lævinos pugna viciſſet. O invictum populi Romani robur! O excelſiſſimi animi altitudinem! quæ nullo periculorum, nullo fortunarum, nullo vitæ amittendæ metu commovetur, nullis fortunæ infeſtæ minis de gradu dejicitur: ſed cujus conſtantia ſtat immota ad inſtar Marpeſiæ rupis, quam fruſtra undique fluctus & marinæ procellæ perſultant. Quis autem fuit fructus illius conſtantiæ? Pyrrhus victor Italia pro victo fugit, Romani Italiæ potiti ſunt, & non longe poſt ſubactam Italiam orbis terrarum.

Crevit Romanorum conſtantia cum ipſo imperio. In primo bello Punico, quid non perpeſſi ſunt? Quot claſſes amiſerunt, quot pedeſtres exercitus? Polybius,

idoneus, ſi quis unquam, teſtis, auctor eſt, ſeptingentas roſtratas in hoc viginti trium annorum bello perdidiſſe Romanos, in ſingulis fuiſſe trecentos remiges, & centum viginti milites. Si calculum ponas, & rationem ſubducas, trecenta circiter hominum millia maritimas has pugnas abſtuliſſe cognoſces. Quantam vero multitudinem Romanorum conſumpſerunt clades terreſtres? In Africa ille, de cujus pietate jam diximus, M. Attilius Regulus, Conſul & Imperator præſtantiſſimus, ac inter omnes quos Roma tulerat illa tempeſtate primarius, cum toto exercitu oppreſſus eſt, & ipſe vivus in poteſtatem hoſtium venit. An non putatis, Auditores, tantæ cladis nuncio accepto, concidiſſe Romanorum animos, deſperaſſe & ſupplices petiiſſe pacem? Attendite quæſo, ut longe acrius inſurrexerint in hoſtes, & ut non modo non eos terruerit tanta ſtrages civium, ſed excitarit ad ulciſcendam ignominiam, ut oblatas a victoribus pacis conditiones repudiarent, nec ante de pace audire vellent, quam acceptam ignominiam aboleviſſent novis victoriis. Regulus enim cum a

Car-

Carthaginienſibus ad Senatum Romanum miſſus eſſet, ut ipſius permutatione Carthaginienſium captivi reſtituerentur, in Senatum perductus cum expoſuiſſet, quid ei Carthaginienſes mandarant, primus de hac re rogatus ſententiam negavit pro ſe uno, & qui propter grandem ætatem vix ullam utilem operam poſſet in poſterum navare, tot juvenes integræ ætatis & domi nobiliſſimos, qui maximum damnum Romanis poſſent inferre, hoſtibus reddendos eſſe, in cujus ſententiam cum pedibus iviſſet Senatus, Carthaginem Attilius repetiit, maluitque ad certum & diriſſimum ſupplicium redire, quam ſuo commodo pati, ut Carthaginienſes Romanis illatam hanc ignominiam impune ferrent, & fœdam pacem ſui cives inulti inirent. Hoc Romanorum eſt, non cedere malis, non in rebus tantum non perditis ejulare & animis cadere, ſed quicquid ferendum eſt æquo & alto animo ferre, & illum in ultionis ſolatium intendere.

Magna fuerunt conſtantiæ Romanorum experimenta, quæ ediderunt in bello Punico primo, ſed longe majora illa ſunt, quæ bello Punico ſecundo probarunt

diis hominibuſque. Hannibal ex Hiſpania per Galliam, & per invicta illa Alpium juga, cum ingentibus copiis pedeſtribus & equeſtribus, feriſque elephantis irruperat in Italiam, ac tria graviſſima vulnera inflixerat Romanis ad Ticinum, ad Trebiam, ad Traſimenum lacum. Quartam plagam & fere mortiferam acceperant Romani ad Cannas, cum duo maximi exercitus ad hoſtium ſatietatem eſſent cæſi, donec Hannibal militi diceret, parce ferro. Nam illo die tot Romanos interfecerat, ut eorum annulos modiis metiretur, & pontem de cadaveribus Romanis in torrente Vergello faceret. Quin dubium non erat quin ultimum illum diem habitura fuiſſet Roma; nam intra quintum diem in Capitolio potuiſſet epulari Hannibal, ſi, quemadmodum ſciret vincere, ſic uti victoria ſciſſet. In illo prælio videbatur omnis ſanguis virilis Romani populi exhauſtus eſſe, quinquaginta millia ſelectorum militum uno cum altero Conſulum, cum tot tribunis & centurionibus, tot Senatoribus & Equitibus cæſi jacebant. Nihil videbatur ſupereſſe quam ſenes, pueri & fœminæ. Non tantum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

omni virili ætate Urbs, ſed etiam omni pecunia in ſumptum belli, quæ rerum eſt nervus, erat exhauſtum ærarium. Nemo tamen abjecto animo petebat pacem, nemo de pace loquebatur, quin potius Conſuli Paulo, qui præcipuus hujus cladis auctor fuerat, redeunti occurrebant, illique gratulabantur, quod de patria non deſperaſſet. Sed quid conſilii capiebant, amiſſis civibus, qui patriam tueri poterant, exinanitis theſauris, unde impenſæ belli erant promendæ? An non putatis in tanta rerum deſperatione Romanos Hannibali, quem jamjam credebant ipſam Romam oppugnatum adfuturum, obviam miſiſſe legatos cum infulis ſupplices? O ineptos homines! qui ſic ſentiunt, & ex ſuo animo puſillo ſpectant Romanos! Deerat juventus, pueros, ſenes, vinctos, ſervos armabant. Non erat pecunia in ærario, unde homines pararentur, & ſtipendium iis numeraretur, Senatores omnes opes ſuas, præter quod in bullis & in annulis erat, in medium proferebant, quos ſtatim ſequebatur Equeſter ordo, & mox omnes tribus. Quicquid ad ſacra facienda, ad ornatum

dignitatis, ad mundum muliebrem, diesque ſolemnes celebrandos auri & argenti facti domi habebant conditum, proferebant celeriter, & conferebant in publicum, ut Reſpublica illo uteretur in neceſſitates illius diriſſimi temporis. Sic flata ex hoc collatitio argento pecunia exercitum conſcribebant, quo victrices copias poſt profligarunt. Cum reſpiraſſent, & non longe poſt recollegiſſent vires, quamvis hoſtis faucibus Italiæ inhæreret, & de media Italia faceret Africam, Romani tamen exercitus diverſos mittebant in Siciliam ac Hiſpaniam, ut poſſeſſione illarum terrarum Pœnos dejicerent! quin cum Capuam obſediſſent Romani, quæ nefando ſcelere defecerat ad hoſtes, cumque illam Urbem Hannibal, quæ ejus altera patria erat, liberare non poſſet, ipſam Romam obſedit, ut cogerentur metu patriæ amittendæ Romani ſuos revocare; non deſtiterunt tamen ab incœpta obſidione, ſed tanta Romanorum erat conſtantia & fiducia, ut, quamvis fere omnis juventus ſederet ad Capuam, ager, in quo Hannibal ante portam caſtrametabatur, & in quo ipſius erat prætorium

ve-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

nalis Romæ proponeretur, ac haſtæ & voci præconis ſubjiceretur, eſſet tamen civis Romanus, qui illum emeret. Fruſtra hoc imitari volebat Hannibal, qui argentarias Urbis tabernas cum vellet in quintana caſtrorum ſuorum vendere, nemo fuit inventus, qui ſeſtertio illas liceretur, unde merito exclamat floridus ille Romanarum rerum ſcriptor: O horribilem in tot adverſis fiduciam! O ſingularem animum ac ſpiritum populi Romani! O populum dignum orbis imperio! dignum omnium favore & admiratione hominum ac Deorum. Hac ſane conſtantia plane mirabili effectum eſt, ut non multis annis poſt, illi victi toties Romani Carthaginem in ipſa Africa vincerent, & cogerent illam pudendas pacis leges accipere, amiſſo imperio maris, & omnium inſularum, quæ ſunt inter Italiam & Africam: & ut novo poſt bello orto Carthaginem ipſam caperent. Deleta autem Carthagine vinci a Romanis nullum puduit populum. Nam non longe poſt tempore terrarum orbis dominationis Romanæ jugum ſponte quaſi ſubiit. Hæc omnia debent immotæ illi ſuæ con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

ſtantiæ, qua triſtiſſimorum temporum fata ſuperabant.

Non expectatis, credo, auditores, ut nunc alia conſtantiæ Romanæ documenta cumulem, quam præſtiterunt, aut in Numantino bello, cum tot & tantis cladibus Numantia Romanos affeciſſet, tantoque terrore compleviſſet, ut erubeſcendis pactis vitam ſemel iterumque redimerent, & aliquamdiu ne oculos quidem aut vocem Numantini viri quiſquam Romanorum ſuſtineret: aut in Sertoriano, cum per quinquennium cum illo ſic luctaretur, ut incertum eſſet Hiſpanine Romanis, an Romani Hiſpanis eſſent parituri: aut in quadraginta annorum bello, quod geſſerunt cum Rege Pontico Mithridate, qui bello acerrimus, conſilio & animo maximus, manu promptiſſimus, odio in Romanos alter Hannibal, & qui ſuccinctus totius ſeptentrionalis plagæ viribus Romanos omnes, quotquot erant in Aſia, cum uxoribus & liberis jugulavit atrociſſime, qui excedebant centum millium numerum, & populum Romanum exuerat omnibus terris, quas in Aſia aut quæſierant armis,

aut

aut creverant hereditate, fuſiſque multis exercitibus Conſularibus, ipſi Italiæ terribilis imminebat. Non tamen Romanorum animos horrendæ hæ clades & cædes minuerunt, ſed mira conſtantia ſemper formidoloſiores reſurrexerunt, & perdurarunt donec victoriis expunxiſſent tot prœliorum ignominioſas notas ſibi inuſtas, & victos hoſtes deleviſſent ac ſubjugaſſent. Hinc videtis Aud. prœliis ſæpiſſime victos fuiſſe Romanos, ſed nunquam bello, quod ſoli incredibili illi ſuæ conſtantiæ referunt acceptum, abſque qua nunquam Romani ad iſtud potentiæ faſtigium perveniſſent, quo majus ab omni ſeculorum memoria ſol nunquam aſpexit.

Verum anne ſoli fuerunt Romani, qui hac conſtantiæ gloria excellunt? Ingrati eſſemus in noſtros Majores, qui nobis hanc libertatem, & has invidioſas, & multis formidoloſas regibus opes pepererunt, ſi ſilentio tranſmitteremus illorum divinam virtutem, & incredibilem conſtantiam in rebus afflictiſſimis & perditiſſimis, cum ne ipſa ſalus videretur illos ſervare poſſe.

Incubuerat ſuperiore ſeculo Belgio tem-

peſtas atrociſſima ab occidentali tractu. Sub obtentu violatæ religionis & majeſtatis nitebantur imponere jugum impotentis dominationis omnium cervicibus, quod cum ſubire detrectaret gens libertati innutrita, vis, ferrum, flamma, ſanguis omnia tenebat. Inaudita erat humani ſanguinis rabies & ſitis. Nulli ordini, nulli ſexui, nulli ætati parcebatur. Sacra, leges, humana divinaque omnia conculcabantur: ubique ſquallor erat, fuga, captivitas, exilia: omnia denique erant vaſtitati addicta. Cum ita deſolata, deſerta, & deſtituta omni ſpe humana erat Belgica, patrocinium ejus tanquam orbæ & indigniſſime habitæ matronæ ſuſcipit Guilielmus primus, Princeps Arauſiacus, Heros incomparabilis, animo, conſilio, ſapientia, virtute nullo non modo illius ætatis, ſed etiam omnis memoriæ Heroibus inferior. Contrahit in Germania exercitum ſuo ſtipendio, quem ipſe in has terras ducit in auxilium miſerorum Belgarum. Quo nuntio accepto, cœperant reſpirare Belgae, & expectatione ſecundioris fortunae excitari. Sed illa ſpes mox omnis evaneſcebat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

cum in ipſo limite Belgii ad Moſam commeatus rerumque omnium penuria preſſae Guilielmi copiae brevi dilaberentur, nec tyrones pares eſſent militi hoſtium multis expeditionibus ac longo bellorum uſu indurato. Num propterea tot malis fracti animum infeſtae fortunae, & colla ſervituti ſubmittebant Belgae? Tantum abeſt ut deſperarint, ut potius animis majoribus ſemper inſurrexerint. Profugi ornant claſſem viginti navium, Brilam invadunt & occupant, hoſtes ex illa ſummovent, qui quaſi ſubito pavore lymphati fugam capeſſunt, ſed nec in illa fuga a priſtina ſaevitia & tyrannide deſciſcunt, ſed hoſtiliter Rotterodamum diripiunt. Mox partibus acceſſit Vliſſinga Zelandorum ejectis Hiſpanis.

Haec ſunt tenuia florentiſſimae Reipubl. initia, & quaſi incunabula. Poſt terra marique variis in locis manus conſerebant: pedeſtribus copiis Hiſpanorum veterani profligabant tyrones & incompoſitos, mari ſuperiores erant Batavi. Verſabantur hoſtes in meditullio Hollandiae & vicinarum gentium, & incubabant illarum jugulis. Capiebatur Zutphania,

capiebatur vicina nobis Narda, capiebatur Harlemum, capiebantur Veteres aquæ, quas omnium urbes nobilitavit imimanis & belluina quædam feritas, qua ſæviebatur in cives tormentis, ſtupris, caedibus, nulla ætatis, nulla ſexus, nulla ordinis reverentia. Quam tum hujus Reipublicæ faciem creditis fuiſſe, cum intima Hollandiæ inſiderent ac tenerent hoſtes, & in agros, oppida, & omne genus hominum ferro flammiſque ſic graſſarentur, ut nullam tegulam in his terris viderentur relicturi eſſe, & nec barbari barbarorum atrocius bacchari in iis potuiſſent?

Quid cum obſidione arctiſſima premeretur Lugdunum, qua nutabant omnia, & a cujus fato fata Reipublicæ tanquam tenui quodam filo pendebant, cum nullae vires in rebus tam arctis eſſent, cum peſtilentia, morbi, bello, & nihil non experta fame confecta eſſet maxima pars civium, quæ ſine præſidio militari tuebatur urbem, cumque nulla ſubſidii ſpes eſſet, niſi opis divinæ, non tamen deſperabant, ſed magno & excelſo animo omnia ferebant, ne crudeliſſimorum domino-

minorum cogerentur ferre ſervitutem. Mirificæ hujus conſtantiae quænam fuit merces? fuit inopinata ipſius urbis libertas, quæ Deo, cujus ſolius nitebantur auxilio, debebatur, qui immiſſo mari, cum ejus fluctus plenus lunæ orbis attolleret, ventos aſpirabat mirifice obſecundantes: quibus accedebat murorum ſubita & opinata ruina, quæ urbem, cum plane perditura videbatur, unice ſervavit. Objecit enim auribus hoſtium ille ruentis muri tumultus ſpeciem eruptionis, quæ terrore quodam Panico obſeſſores corripiebat, ut relictis caſtris, obſidione ſoluta terga darent. Liberata Lugdunum liberavit totam Belgicam, quæ eſt noſtræ ditionis, & totam rempublicam.

Tantam Majorum noſtrorum conſtantiam niſi nos non imitemur, degeneres ſumus illorum poſteri, & indigni aurea illa libertate, indigni illa potentia, ut in finibus & coloniis noſtris ſol oriatur & occidat, indigni illa gloria, cujus ſplendor tam late diffuſus eſt, ut non tantum Europæ, ſed Turcarum, Perſarum, Serum, Indorum, Orientalis & Occidentalis orbis, ut & Maurorum, Afrorum,

& quotquot in incognitis famæ terris ac inſulis ſunt, oculos perſtringat.

Hæc in illis tenebris, in illis tantis pecuniæ publicæ privatæve anguſtiis, & contra ea in tanta opulentiſſimi orbis terrarum Regis potentia Majores noſtri tam conſtanter, tam feliciter, tam magno & excelſo animo tulerunt & geſſerunt. Iſta tam pulchra & tam præclara bona tanto illorum labore, tantis periculis, tanto ſanguine parta niſi nunc tueamur, omnibus, qui aut felicitatem beatæ Reipublicae noſtrae mirantur, aut limis illam oculis aſpiciunt, erimus ludibrio, omneſque brevi peribimus, & ad priſtinam egeſtatem & obſcuritatem recidemns. Non minus nunc noſtris omnium fortunis, noſtrae libertati, noſtaeque, quae eſt omnibus rebus praeferenda, religioni impendet periculum, & certiſſimus interitus, niſi tanta conſtantia, quam Majores noſtri orbi terrarum probaverunt, pertulerimus moleſtias & incommoda in communi hoſte, qui tanquam avidus & rapax lupus noſtris inhiat opibus, noſtrae imminet libertati, noſtrorum ſacrorum, quae in ſuo regno dudum extinxit,

tinxit, everſionem molitur, & per noſtrum latus totius Europae petit jugulum, refraenando ac ſic coercendo, ut non poſthabita jurisjurandi fœderum & pactorum religione de aliis infeſtandis, ſed de ſui tuendis ei ſit cogitandum. Actum eſt de nobis, actum eſt de dignitate & libertate Europae, ſerviendum erit impotentiſſimae ac ſuperbiſſimae genti, quae caeteras omnes prae ſe contemnit, tanquam umbras volitantes. Si quid in nobis virtutis ac animi Majorum ſupereſt, nec blanditiis hoſtium inſidioſam pacem offerentium, ut olim proavis noſtris Hiſpani, qui tamen nunquam audiebantur, nec minis, nec periculis ullis commoveri debemus, ad ullas conditiones accipiendas, quam illi conſtantia noſtra, ſed auſpiciis Maximi Regis Guilielmi eo redacti fuerint, ut certae & ſecurae pacis certi eſſe poſſimus, quae non tam poſita eſt in armis poſitis, ſed in poſito armorum metu. Hunc ſi nobis non demſerit pax, non erit pax, ſed certiſſima ad totius Reipublicae excidium via. Durandum itaque eſt, o paſſi graviora! dabit his Deus finem, dabit ſe-

 curam

curam & exoptatam pacem, quæ majorum conſtantia quæſita, per noſtras manus tradatur poſteris duce & auſpice GUILIELMO.

D I X I.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 C 47